

528. *Regula data non procedit in iudice subrogato ejusdem iudicii.* — Resp. II. Conclusio, seu regula proxime data procedit, quando sermo est de diverso iudicio, diversoque iudice: secus, in iudice subrogato ejusdem iudicii: puta, quando iudex aliquis recepit testes, et ante publicationem attestatorum sententiamque latam mortuus est, ac in locum ejus alius successit, sive subrogatus fuit. Ita Felinus in c. *Causam quæ*, il. 1, n. 1. h. t. Jason l. II. n. 21. c. *de Edendo*; Pirhing h. t. n. 204. Farinacius cit. quæst. 73. n. 21. allegans alios. Ratio est, quia successor, sive subrogatus iudex, debet judicare ex actis, quæ coram mortuo fuerunt producta. l. *Mortuo iudice*. ff. *de Judiciis*: imo censetur veluti idem iudex cum priori l. *Proponebantur*. ff. eod. Et consequenter attestations, etiam nondum publicatæ, æque probant coram ipso, ac coram priori iudice; sicque valet sententia inde lata absque harum publicatione, nisi fuerit appellatum, juxta dicta concl. 1.

529. *Neque in iudice in causa appellationis, et revisionis.* — Atque hoc ipsum esse dicendum de iudice in causa appellationis, et revisionis, censent proxime citati auctores. Idque tum ob paritatem rationis, quia videlicet iudex ad quem succedit respectu ejusdem causæ iudici a quo; tum quia alioquin sequeretur, quod sententia lata per iudicem a quo sine publicatione attestatorum, non posset confirmari per iudicem ad quem sine nova receptione, et publicatione attestatorum: hoc autem non esse dicendum, patet ex c. *Cum I.* et A. 22. *de Sentent. et re iudicat.* de quo jam supra n. 524. dictum est.

530. *Regula illa fallit quoque in nonnullis aliis casibus. Ut fit accidente, consensu partium.* — Resp. III. Dantur ulterius nonnulli alii casus, in quibus fallit regula n. 525. data, ac testes in uno iudicio recepti, fidem faciunt in alio etiam sine publicatione suarum attestatorum. Ita Felinus loc. cit. n. 14. et seqq.; Farinacius n. 22. et seqq. et alii. Sic quippe fit accedente consensu partium: quia partibus consentientibus testes etiam non publicati, probant coram quocumque iudice, per textum in cit. c. *Cum causam*. 37. h. t.

531. *Item in aliis casibus, in quibus testes possunt examinari lite non contestata.* — Deinde testes non publicati probant inter easdem personas, ac etiam coram alio iudice, in omnibus illis casibus, in quibus testes possunt examinari lite non contestata. Jason cit. l. 2. n. 21. c. *de Edend.* id probans ex Auth. *Sed*

*et si quis.* c. *de Testib.* quem textum Bartolus ibid. ad hoc notat, et reputat mirabilem; Farinacius d. quæst. 74. n. 25; Pirhing h. t. 205, istud exemplificantes in testibus, senibus, valetudinariis, et hujusmodi.

532. *Et quando testes priores interim fuerunt mortui.* — Id ipsum est dicendum in casu, quo testes priores interim fuerunt mortui, vel nunc existunt in adeo remotis partibus, quod iterato produci non possint: quia tunc ipsi probant non publicati. Jason l. 2. n. 20. c. *de Edendo*; Farinacius cit. quæst. 74. n. 26. allegans alios.

533. *Tenetur pars adversa vel ratam habere priorem receptionem testium, vel pati, ut denuo testes examinentur.* — Tandem, etsi testes non publicati fidem non faciant coram alio iudice, ut dictum, nihilominus pars adversa vel debet ratam habere priorem receptionem testium, atque in eorum publicationem per alterum iudicem faciendam consentire; vel compellitur pati, ut denuo iidem, alique testes producantur, atque examinentur, c. *Cum causam*. 37. h. t.; Farinacius cit. quæst. 74. n. 28. et alii.

#### § XVII.

##### DE EXCEPTIONIBUS CONTRA TESTES PROPONENDIS, HORUMQUE REPROBATIONE.

534. *Exceptiones, quæ testibus possunt obijci, sunt triplicis generis. Potest opponi contra personas testium.* — Quæritur I. Quotuplicis generis exceptiones possint testibus opponi, et quando proponendæ? Resp. I. Exceptiones, quæ testibus obijci possunt, sunt triplicis generis. Ita Pirhing h. t. n. 239. post Hittropium in *Process. Judic.* tit. IX, cap. VI. Idque patet inductione. *Primo* enim potest excipi contra personas testium; opponendo videlicet ipsis, quod vel omnino, vel saltem respectu talis causæ, inhabiles sint ad ferendum testimonium: et de hoc fuscè dictum fuit supra d. § 2. usque ad § 7.

535. *Potest opponi contra examen testium.* — *Secundo* potest excipi contra examen testium: opponendo videlicet, quod non sit legitime factum. Idque vel ex defectu jurisdictionis, si nimirum ab incompetente iudice testes fuerunt examinati; puta, clerici a iudice sæculari sine consensu proprii episcopi, can. *Quamquam*. 11. q. 2. Vel quia testes producti, et recepti fuerunt ante litem contestatam, seu adversa parte non citata, sive post

tertiam productionem non observata solemnitate legali, aut post jam didicita testificata, sive non jurati, aut non singillatim, sed simul plures admissi, hac hujusmodi: de quibus etiam fuscè dictum extitit supra § 13. et 15.

536. *Potest opponi contra dicta testium. Testes extra articulum deponentes, nullam fidem faciunt.* — *Tertio* potest excipi contra depositiones, seu dicta testium; ut quia deposuerunt contraria, obscura, incerta, vacillantia, non verisimilia, non congruentia facto, vel penitus falsa: aut quia deposuerunt singularia, vel non addita causa suæ scientiæ, aut saltem non idonea, et hujusmodi; de quibus pariter jam dictum est § 9. 10. et seqq. Huc accedit quando testibus obijci potest, quod dicta eorum sint impertinentia, sive data extra articulos: nam, quod testes extra articulum interrogati, seu deponentes, nullam fidem faciant, eo quod deponerent non jurati, desumitur ex c. *De testibus*; ac notat Glossa ibid. *Non jurati*. et Abbas n. 1. h. t. Jason l. *Si duo patroni*. § *Idem Julianus*. n. 26. et seqq. ff. *de Jurejurand.* Gailus lib. I. *Prætic.* observ. 95. n. 4; Pirhing h. t. n. 239. et alii.

537. *Exceptiones contra personas testium sunt opponendæ ante publicationem attestatorum, exceptis tribus casibus; et quibus?* — Resp. II. Exceptiones contra personas testium sunt opponendæ ante publicationem attestatorum: his autem publicatis regulariter non potest amplius aliquid obijci in personas testium. Ita textus in c. *Præsentium*. 31. h. t. Alioquin enim præsumptio foret, quod quis malitiose velit nunc testes reprobare, postquam vidit, seu ex publicatis attestatoribus cognovit, quod contra eum deposuerint, prout notat Abbas ibid. n. 2. Additur vero «regulariter»: fallit enim hoc in tribus casibus, qui referuntur in cit. c. *Præsentium*. h. t. et sunt sequentes. I. Si quis «cum juramento firmaverit, quod ad hoc ex malitia non procedat.» II. «Si forsan ante publicationem id fuerit protestatus.» Et hic est casus cæteris frequentior: formam autem talis protestationis ponit Speculator tit. *de Teste*. § *de Testium Probatione*, n. 3. III. Quando «quis ostensaere poterit, quod post publicationem attestatorum primum, non autem antea «didicerit, quod obijci in personas.» Et hoc ultimum (inquit Glossa ibid. *Didicerit*) est difficile probare, nisi per juramentum.

538. *Si quis protestatus est exceptionem proponere contra personam testis, tunc testi in favorem ejus deponenti de facili non creditur.* — Ubi tamen notandum est, quod si quis ante publicationem attestatorum protestatus fuerit se velle contra personam alicujus testis exceptionem proponere, ipsumque reprobare; tunc non facile credendum sit dicto talis testis, si forsan is in favorem protestantis deposuerit. Textus est in cit. c. *Præsentium*. h. t. ibi: «Si quid pro ipso dixerint (nempe pro protestante) de facili non credatur.» Ubi Glossa fin. et Abbas ibid. n. 12. et alii plures ly, «de facili,» exponunt pro ly, «nullo modo:» vel saltem (quod probabilius est) ut sensum faciat, «Non credatur de facili;» videlicet, sine aliis adminiculis: quod postea iudicis arbitrio relinquitur. Ratio hujus est, tum quia protestatio illa debilitat dictum testis, dum exinde oritur præsumptio contra ipsum, quod in favorem protestantis aliquid dixerit ex timore criminis, alioquin sibi ab eo obijciendi, si quid contra eum diceret; tum quia is, qui noluit dictis illorum testium fidem haberi contra se, etiam non debet habere pro se, arg. c. *Cum olim*, 19. *de Censib.* ubi quis ex eo, quod studuit impugnare, non debet beneficium consequi; cum similibus.

539. *Exceptiones contra dicta testium, et contra eorum examen, opponuntur post publicationem attestatorum.* — Resp. III. Exceptio contra dicta testium est opponenda post publicationem attestatorum: neque enim antea norunt partes, qui testes deposuerint, ac proinde, quid in eorum dictis sit reprobandum. Engel h. t. § 4. n. 52. Idemque, servata proportione, dicendum de exceptionibus contra examen testium: nam et hæc tunc primum opponi valent, quando examine illo testium producto alteri parti innotescere potuit, istud se non citata, vel alias illegitime fuisse attentatum, et factum.

540. *Exceptio contra personas testium proprie non est dilatoria, nec peremptoria. Exceptio contra testes est quasi peremptoria.* — Quæritur II. Utrum exceptio contra personas testium sit dilatoria, impediatque examen testium? Resp. I. Exceptio contra personas testium proprie non est dilatoria, nec peremptoria, sed participat de utraque. Ita Abbas d. c. *Præsentium*. n. 1. h. t.; Pirhing h. t. n. 244. Ratio est, quia imprimis ea proprie non est dilatoria: nam exceptio dilatoria differt, seu impedit processum su-

per negotio principali ad tempus, § *Appellantur*. Instit. *de Exception.* debetque ante litem contestationem opponi, c. *Inter monasterium.* 20. *de Sentent. et re judicat.* et l. ult. c. *de Exception.* Exceptio autem contra personas testium potest etiam post litem contestatam opponi; imo et quandoque post publicationem attestatum, ut proxime dictum. Nec proprie est peremptoria: quia exceptio peremptoria est actionis exclusio, l. I. et II. ff. *de Exception.* et semper agentibus obstat cit. § *Appellantur*. Instit. eod. Hoc autem non facit exceptio contra personas testium; ergo. Remanet proinde, quod exceptio, quæ fit contra testes, participet de utraque: nisi cum Glossa in c. *Ex parte A.* §. *Testes idoneos. de Testib.* Abbate c. *Finem litibus.* n. 11. *de Dolo et contumac.* atque Barbosa cap. i. n. 7. h. t. exceptionem illam, quæ opponitur contra testes, malueris appellare « quasi peremptoriam: » quia, licet directe non perimat intentionem adversarii, perimit tamen ipsam per obliquum; dum sublata probatione per testes, jus ipsius remanet inutile, non probatum.

541. *Ea regulariter non impedit examen testium, sed reservatur disputanda in finem litis.* — Resp. II. Exceptio contra personas testium regulariter non impedit examen illorum, sed reservatur examinanda seu disputanda in finem litis. Ita Glossa in c. *Ex parte.* §. *Infames.* et ibi Joan. Andreas n. 1. et 16. Abbas n. 3; Baldus n. 11; Felinus n. 12. h. t.; Socinus *de Fallent.* reg. 129. Mascardus *de Probation.* concl. 695. n. 1; Pirhing h. t. num. 247; Farinacius *de Testib.* quæst. 62. n. 350. allegans plurimos alios. Idque desumitur ex Auth. *Si testis.* c. h. t. ubi decernitur, quod propter exceptionem, quæ objicitur in personam testis, non differatur ejus testimonium; sed dictæ exceptionis probatio, et examinatio in tempus disputationis (hoc est, post publicationem attestatum) sit differenda: nisi pro opponente sit de jure præsumptio, vel talis aperta probatio, quæ testimonium etiam latum penitus evereat; prout limitat Baldus in *Summario* ibid. Accedit ratio, quia statim disputando de inhabilitate testium, quæ nondum est aperta, sed longiori indiget examine, multum protraherentur lites, et quandoque inutiliter: cum contingere possit, quod in progressu appareat, judicem etiam sine testimonio illorum testium, quibus aliqua exceptio objicitur, ex aliis depositionibus, et probationibus, posse

sententiam terre. Sufficit ergo, in fine disputare de inhabilitate testium, quando id opus esse videbitur, eaque probata respuere testimonium illius testis.

542. *Fallit hæc regula, quando pro opponente simul stat præsumptio juris.* — Dicitur tamen in data conclusione, « regulariter. » Patitur enim hæc regula suas limitationes. Et primo quidem, quando pro opponente simul stat juris præsumptio: ut si contra testem opponatur, quod sit servus, sicque inhabilis ad testificandum; et testis fateatur, se fuisse servum, nunc autem esse libertinum, sive manumissum: quia tunc non admittitur ad testificandum, nisi prius exhibeat instrumentum suæ manumissionis; stat enim præsumptio juris contra ipsum, utpote manumissionem non præsumptis, donec probetur. Authent. *Si testis.* c. h. t.; Socinus cit. reg. 129. fallent. 3; Farinacius d. quæst. 62. n. 356. et alii.

543. *Vel, quando notorius est defectus, qui testi objicitur.* — Limitatur secundo, quando notorius est defectus, qui testi objicitur; aut si huic opponitur crimen publicum, et manifestum; vel saltem in continenti offertur ejus probatio: quia talis exceptio impedit examen testium, illiusque probatio statim est admittenda, nec reservatur in finem litis; et si iudex noluerit eam admittere, licite appellatur. Casus est in cit. c. *Ex parte.* 7. h. t. ubi Summarium, et Abbas n. 8; Felinus n. 15; Menochius *de Arbitrar. judic.* lib. II. cas. 239. n. 12; Farinacius d. quæst. 62. n. 358. et 362. allegans plurimos alios. Id ipsum desumitur ex cit. Auth. *Si testis.* c. h. t.

544. *Vel quando testi opponitur excommunicatio, ob quam sit vitandus.* — Limitatur tertio, quando opponitur testi excommunicatio, ob quam sit vitandus: quia talis exceptio impedit receptionem, atque examen illius testis, propter periculum communicationis cum excommunicato; atque ideo statim est inquirendum de veritate dictæ exceptionis. Joan. Andreas cit. c. *Ex parte.* n. 15 et Abbas ibid. n. 8. h. t.; Socinus cit. reg. 129. fallent. 4; Mascardus cit. concl. 695. n. 3. istud probans ex c. *Pia. de Exception.* in 6; Pirhing n. 250 et alii.

545. *Item, quando periculum est, quod testes reprobatorii aliorum, postea non amplius sint reperiendi in fine litis.* — Limitatur quarto, quando periculum est, quod testes reprobatorii aliorum, contra quos proponitur excep-

tio, postea non amplius sint reperiendi in fine litis: ut quia sunt senes, infirmi, vel in remotas regiones abituri: tunc enim exceptio contra testes opposita non reservatur in finem litis, sed impedit examen testium, donec de ea cognoscatur. Joan. Andreas loc. cit. n. 16; et Abbas d. n. 8; Socinus cit. reg. 129. fallent. 5; Farinacius d. quæst. 62. n. 363. allegans alios.

546. *In arbitrio iudicis est positum, exceptiones testium statim admittere ad probandum, vel earum discussionem reservare in finem litis. Materia de testibus multum est arbitraria.* — Tacentur nonnullæ aliæ limitationes, apud auctores proxime relatos videndæ: qui tandem concludunt, in arbitrio iudicis esse positum, an pensatis variis circumstantiis, quæ hinc inde possunt occurrere, velit exceptiones contra testes oppositas statim admittere ad probandum, vel potius earum discussionem reservare in finem litis: nam præsens materia *de Testibus*, multum est arbitraria, l. III. ff. h. t. Quod si vero iudex non arbitrabitur ut bonus vir, poterit ab eo appellari. Abbas cit. n. 8. vers. « Quare concludo, » et alii.

547. *Non possum reprobare testem, quem induxi pro me, nisi nova causa supervenerit.* — Quæritur III. A quo possint, vel non possint reprobari testes, aut dicta eorum? Resp. I. Etsi reus possit reprobare testes actoris contra se inductos, et econtra, ostendendo ipsorum inhabilitatem, dummodo eos antea necdum approbaverit, ut est extra controversiam, testem tamen, quem induxit pro se, non potest amplius reprobare, sed tenetur eum admittere contra se, nisi nova causa supervenerit. Ita Glossa in c. *Præsentium.* §. *Si quis.* et Joan. Andreas ibid. n. 10. et Abbas n. 6. h. t.; Speculator tit. *de Teste.* §. *de Testium reprobatione.* n. 5. et alii. Ratio est, quia, cum quis producit testem pro se, hoc ipso approbat personam illius; ergo contra personam ejus (nisi ex nova causa emergente) nihil amplius potest opponere; sicque tenetur eum etiam contra se admittere: nam, « quod semel placuit, amplius displicere non potest, » juxta reg. 21. juris in 6. cum similibus. Accedit textus in l. *Si quis testibus.* c. h. t. proxime referendus.

548. *Ne quidem in alio iudicio.* — Ampliatur hæc conclusio, ut etiam in alio iudicio non possim reprobare personam testis, quem semel pro me induxi, nisi ex nova causa. Textus est expressus in cit. l. *Si quis testibus.* c. h. t. quæ est canonizata in can. *Si testes.*

§ *Si quis testibus.* 4. q. 3. quo utroque in loco sic legitur: « Si quis testibus usus fuerit, iidemque testes in alio iudicio (seu in alia lite) producantur, non licebit ei personas eorum excipere: nisi ostenderit, inimicitias inter se et illos postea emersisse, ex quibus testes repelli leges præcipiunt, » etc. Hæc ibi.

549. *Etiamsi ipso postea usus non sim.* — Et quamvis allegatus textus loquatur in casu, quo « quis testibus usus fuerit: » hoc ipsum tamen censent doctores esse dicendum etiam tunc, quando quis testes pro se produxit, etiamsi iis postea usus non sit; forte, quia non potuit, vel eorum testimonio non indiguit. Quia hoc ipso, quod istorum testimonio uti voluerit, sicque eos produxerit, censetur approbasse personam illorum: unde redit allata ratio, seu ne quis reprobet, quod antea approbavit, Joan. Andreas, et Abbas, ubi supra n. 7. et alii.

550. *Ex causa de novo superveniente possum reprobare testem antea a me productum.* — Cæterum limitatio illa, « nisi ostenderit inimicitias inter se et illos postea emersisse, » etc. merito extenditur ad omnes alias causas de novo supervenientes, quibus de jure potest persona testis repelli; ut puta, si postea testis ille factus sit infamis, perjurus, etc. Tunc enim possum exinde ipsum repellere, haud obstante quod antea eum pro me induxerim, juxta textum relatam ex cit. l. *Si quis testibus.* c. h. t.

551. *Ac etiam ex defectu nunc primum cognito, quo antea testis laborabat. Paria sunt, non esse, et non apparere.* — Atque hoc ipsum est dicendum de aliis hujusmodi defectibus postea primum cognitis, quibus testis productus antea laborabat, sed a producente ignorabantur. Abbas cit. n. 7. asserens, ejusmodi ignorantiam posse probari juramento: quod ipsum tradit Felinus c. *Pastoralis de Exception.* et favet textus c. *Nulli licere.* 8. *de Election.* in 6. Siquidem quantum ad propositum, paria sunt, non esse, et non apparere, l. *In lege fundi.* juncto Summario. ff. *de contrahend. emptio.*

552. *Possum reprobare dicta testis a me producti, quando sunt sibi contraria, vel aliunde eorum falsitas ostendi potest.* — Resp. II. Etsi personam testis, quem induxi pro me, non possim amplius reprobare dicta ejus, quando video quod sibi sint contraria, vel aliunde eorum falsitas ostendi potest. Ita Glossa in cit. l. *Præsentium.* §. *Si quis.* et Joan. An-

dreas ibid. n. 8. et 12. et Abbas n. 7. in fin. h. t. et alii. Ratio diversitatis est, quia, qui producit testem, censetur nosse, et approbare personam ejus; sicque contra hanc non potest amplius excipere, nisi nova supervenerit causa: non autem is novit, neque divinare potuit, quid testis sit dicturus; atque ideo dicta ipsius reprobare potest, ostendendo eorum contradictionem, falsitatem, etc. Sicut in simili potest quis appellare a sententia illius, quem impetravit in iudicem, c. *Causam quæ. 14. de Sentent. et re judicat.* et l. *Ex consensu. ff. de Appellat.* licet personam ejus, quam suo consensu jam approbaverat, amplius repudiare, seu recusare non possit, nisi nova causa superveniente, c. *Insimulante. 25. de Offic. delegat.* cum similibus.

553. *Testes probatorii, reprobatorii et testes reprobatorii reprobatoriorum; qui?* — Quæritur IV. Qua ratione licitum sit reprobare testes probatorios, et reprobatorios? Ubi prænotandum, quod « testes probatorii » dicantur illi, qui super negotio principali producuntur ad probationem illius. « Testes reprobatorii » vero appellantur, qui ab altera parte producuntur ad reprobandum, seu refutandum personas, aut dicta illorum testium probatoriorum: ut puta, probando per eos quod testes illi probatorii sint servi, infames, etc., aut quod eorum depositio sit contradictoria, falsa, etc., sicque ipsi nihil probent. « Testes reprobatorii reprobatoriorum » tandem vocantur illi, qui vicissim producuntur ad reprobandum personas, aut dicta præfatorum testium reprobatoriorum. Hoc prænotato:

554. *Testes probatorii possunt reprobari per alios testes reprobatorios; et hi rursus mediantibus aliis, sive per testes reprobatorios reprobatoriorum; sed non ultra.* — Resp. I. Testes probatorii, seu producti super probatione causæ principalis, possunt reprobari per alios testes reprobatorios a parte adversa productos; ac etiam hi ipsi rursus possunt reprobari mediantibus aliis, sive per testes reprobatorios reprobatoriorum: ultra vero, hoc est, contra testes istos reprobatorios reprobatoriorum, non est permissum alios testes reprobatorios producere. Ita habetur decisum in c. *Licet dilectus. 49. h. t.* ac notat ibi Summarius, Innocentius, Joan. Andreas, Abbas, Barbosa, et communis aliorum. Ratio est, quia reprobatio testium, sive repulsa ipsorum ob suam inhabilitatem, seu falsitatem, est quædam defensio: si enim non lice-

ret uni parti testes ab altera parte productos reprobare, sæpe veritas succumberet, ac per falsos testes opprimeretur, cap. ii. h. t. et l. *Eos testes. c. eod.* Ac proinde, ut æqualitas servetur in iudiciis, merito tam actori, quam reo permittitur reprobare tum testes probatorios super principali negotio ab altera parte productos, tum etiam horum reprobatorios: ita tamen, ut hic, sive in tertia productione testium priores reprobantium, utrobique detur status.

555. *Infinitas est vitanda, et reprobatum a jure.* — Et merito hic datur status: « Ne, si producendi quartos contra tertios, et sic deinceps partibus licentia tribuatur, negotium diutius protelari contingat; » prout loquitur Pontifex cit. c. *Licet dilectus. h. t.* Quia tunc daretur processus in infinitum, nec esset aliquis finis litium, partibus semper in nova reprobatione ulteriorum testium occupatis. Infinitas autem est vitanda, inquit Glossa ibid. §. *Quos. id probans ex l. Ut inter divinum. c. de Sacrosanct. Eccles.* utpote quæ reprobatum a jure, c. *Cum in multis. de Rescript.* in 6. juncta Glossa §. *Multis.* fusius istud exemplificante.

556. *Licet testes reprobatorii reprobatoriorum non possint reprobari per novos testes, possunt tamen reprobari per instrumenta.* — Dicitur notanter in conclusione, « ultra vero non est permissum, alios testes reprobatorios producere. » Licet enim testes secundo reprobatorii (hoc est, reprobatorii reprobatoriorum) non possint reprobari per novos testes; bene tamen possunt iidem reprobari per instrumenta: ut inquit Joan. Andreas in cit. c. *Licet dilectus. n. 4.* et Abbas ibid. n. 3. et Imola col. 2. h. t. et Pirhing eod. n. 253; tum quia in cit. c. *Licet dilectus. h. t.* solum prohibetur, ne fiat tertia reprobatio per testes: atqui in materia odiosa, ut est præsens, nomine testium non veniunt instrumenta; tum quia in simili, post publicationem attestatum non est licitum novos testes producere; bene tamen possunt produci instrumenta de novo reperta, c. *Cum dilectus. 9. de Fide instrument.* estque jam dictum supra tit. *præced.* § 6. n. 149. et 152.

557. *Modus in reprobatione testium probatoriorum, et reprobatoriorum observandus, in quo consistat? Non sufficit dicere in genere, quod v. g. testis sit criminis; sed oportet crimen specificè exprimere, et cur?* — Resp. II. Modus in reprobatione testium probatoriorum, et reprobatoriorum observandus, tra-

ditur in cap. ii. § *Testes etiam. h. t.* in 6. et consistit potissimum in sequentibus. *Primo*, ut « fiat singillatim specificatio criminum, et aliorum objectorum, » seu defectuum, qui forsitan productis testibus objici possunt, suntque tales, ut illi idcirco testes esse prohibeantur; prout explicat Glossa ibid. §. *Et aliorum.* Unde non sufficit tantum in genere dicere quod testis, qui ab altera parte productus fuit, sit criminis, vel aliunde inhabilis ad testificandum: sed oportet, crimen illud, vel alium defectum singillatim, ac specificè exprimere. Alioquin enim opponens crimen sub tali generalitate, posset postea variare; et cognito, quod unum crimen probare nequiret, aliud fraudulenter objicere, sicque negotium protrahere in infinitum: quod est absurdum. Simile quid habetur c. *Ut circa. de Election.* in 6. ubi pariter appellantes contra electionem, tenentur exprimere omnia, quæ intendunt objicere contra personam electi, vel formam electionis.

558. *Qui producit testes reprobatorios reprobatoriorum, debet jurare, quod ad hoc ex malitia non procedat. Et quid dicendum de prima reprobatione testium?* — *Secundo*, quod is qui producit testes reprobatorios reprobatoriorum, « prius præstet juramentum, quod ad hoc ex malitia non procedat. » Ita loquitur textus in cit. cap. ii. in fin. h. t. in 6. Ubi Glossa §. *Juramentum*, quærit rationem disparitatis, cur in prima reprobatione testium probatoriorum, non exigatur juramentum, bene tamen in secunda, per quam testes reprobatorii reprobantur. Et respondet, disparitatem esse, quia potius præsumitur, malitiam intervenire in reprobatione testium reprobatoriorum, quam in reprobatione probatoriorum, seu super principali negotio productorum, quamquam hoc ipsum sit in potestate iudicis; adeo ut in prima etiam reprobatione possit exigere juramentum, si ita sibi videbitur, cap. ii. § fin. *de Jurament. calumn.* in 6. et illud in secunda omittit, si sibi videbitur.

## TITULUS XXI.

### De testibus cogendis, vel non.

1. *Ratio continuationis rubricarum.* — Quia præcedenti titulo visum est de testibus et at-

testationibus; et dubitari posset, an quis invitatus possit ad testificandum cogi, necne, merito præsens rubrica subjungitur: quæ cum duplex membrum contineat, pariformiter duobus paragraphis declarabitur. Unde sit:

### § I.

#### QUO MODO, ET PŒNA, QUIBUSQUE IN CAUSIS TESTES COGENDI SINT?

2. *Testes auctoritate publica sunt citandi, vocato etiam adversario.* — Quæritur I. An, et quomodo, quibusque pœnis testes cogi possint ad ferendum testimonium? Antequam respondeatur, est supponendum, quod testes auctoritate publica, hoc est, a iudice, vel de ejus mandato per publicam personam, ad ferendum testimonium judiciale citari debeant: ita tamen, ut simul vocetur, seu admoneatur adversarius ad veniendum, et audiendum testium juramentum; vel etiam ad opponendum contra eorum personas, si quid forsitan habuerit, quod testibus objicere, sicque eos reprobare possit: prout uberius tit. præced. diversis in locis dictum est. Quia vero nonnunquam contingit, quod testes legitime citati, vel odio producentis, vel gratia aut timore illius contra quem producuntur, sese subtrahant; et vel penitus comparere recusent, vel saltem in tali causa, et contra talem personam testificari nolint: hinc quæstio remanet, an, et quomodo, quibusque pœnis testes cogi possint ad ferendum testimonium. Quo prænotato:

3. *Regula est, quod si testes legitime citati venire, aut testificari nolint, per iudicem compelli possent.* — Resp. I. Regula est, quod si testes legitime citati venire, aut testificari nolint, per iudicem tum ordinarium, tum delegatum, ad testificandum compelli valeant. Ita textus expressus in cap. i. h. t. ubi pontifex sic loquitur: « Mandamus, quatenus testes ab alterutra partium in suæ assertionis testimonium invocatos, ne veritatem occultent, diligentius moneas, et inducas. Si autem odio, vel gratia, vel timore se subtrahant, eos ad ferendum testimonium coram præfatis iudicibus, vel eorum nuntio, quem ad hoc miserint, ecclesiastica distinctione compellas. » Hæc ibi. Atque ideo hanc regulam tradit Hostiensis in *Summa. h. t. n. 1;* Speculator tit. *de Teste. § de Testium compulsione, n. 3;* Sigisza. Scaccia lib. II. *de*